

The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Fabula c cum uariis

Fabule a fando dicte quia non sunt res facte sed tantummodo loquendo dicte. Que ideo sunt inducte ut ficto animalium mutorum inter se colloquio ymago quedam uite hominum nosceretur. Sicut mus loquitur muri et mustela uulpecule et in libro Iudicum ligna sibi regem requirunt. Quod totum ad mores ordinatur ut ad rem que intenditur ficta quidem narratione sed ueraci significatione perueniatur. Sic enim Demostenes usus est fabula aduersus Philippum qui ab Atheniensibus postulauit decem oratores et ille finxit fabulam: Lupi suaserunt pastoribus ut in amiciciam conuenirent, cumque hoc pastoribus placuisset, petierunt lupi ut primo sibi uice securitatis canes traderentur in quibus uidebatur occasio iurgiorum annuerunt pastores, et cum lupi omni adempta formidine omnem gregem non solum pro sacietate sed eciam pro libidine lacerauerunt. Sic inquit Philippus sublati oratoribus in populo Atheniensi facturus est. Oratores populi postulat quo facilius possit opprimere spoliata custodibus urbem.

Ysidorus libro I. ethimologiarum.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

quia non sunt res facte sed tantummodo loquendo dicte] sed tantummodo loquendo dicte
quia non sunt res facte (*cor. supra lin.*) B; nosceretur] nasceretur P V¹ V² L¹ L²; et *om.* P V¹
V² L¹ L²; mustela] mulstela V¹; Philippum] prophetam B C; traderentur] traderent P V¹ V²
L¹ L²; cum] tunc P V¹ V² L¹ L²; omni] omnia L²; formidine] fortitudine M; Philippus]
prophetas C, philosophus P V¹ V² L¹ L²; Atheniensi] athenensium P V¹ V² L¹ L²